

# M· V· MAR

TIALIS POETAE FACETIS-  
simi epigrammata, ad linguæ Latinæ copiam  
& uarias rerum nomenclaturas utilissima, re-  
cens ab omni uerborum obscenitate in ado-  
lescentium præcipue scholarumq; usum expur-  
gata, & in locos circiter L X X X . digesta, ac  
plærissq; in locis emendata per Conradum

Gesnerum medicum, & naturalis  
philosophiæ in Tigurino col-  
legio professorem.

HIS ACCESSERVNT DIALO-  
gi tres, in quibus ratio huius instituti redditur,  
& multa de puerilibus studijs egre-  
giè commémorantur.

I A C O B I Micylli Argentoratensis in M. V.  
Martialis epigrammata annotationes.

TIGVRI EXCVDEBAT FRO  
schauerus, An. M. D. XLIII.

# CLARISSIMIS VI

RIS DD. FELICI FRY. TIGV.  
rini Præposito, & Heinrycho Bullingero, Ga  
spari Megandro, Erasmo Fabritio, Rodolpho  
Gualthero, diuini uerbi præconibus, ac reli  
quis diuinæ & humanæ sapientiæ in tribus  
linguis professoribus, patronis ac præ  
ceptoribus obseruandis Conradus  
Gesnerus S. D. P.

A Collegij  
canonicorum

O S T E A Q V . A M adoleſcēs ego  
quondā, patroni obseruandi, Grē  
cæ & Latinæ linguae rudimenta,  
uestro quidem beneficio, conse  
quutus utcunq; mihi uidebar, statim ad poeti  
cen animum applicare cœpi: cui dum audius  
incumberem, fortè in Martialis epigrammata  
incidi, eorumq; lectione sæpius q̄ par erat me  
oblectauī. Hinc adeò factū est, ut in poëſi qui  
dem, & Latini sermonis notitia profecerim ali  
quantulum: at melioris rerum sententiarumq;  
cognitionis uice, quibus ingenium puerile in  
strui decebat, multis & uarijs uitiorum generi  
bus cognitis, quibus illud poëtæ sæculum la  
borabat, animū inquinauerim. Nam uel ipsa  
per se meditatio in rebus illicitis magna crimi  
num pars est. Deinde paulatim iam grandior  
ætate, & sacrarum literarum lectionibus ceu  
antidoto quodam instructior, fastidium ali-

E P I S T O L A

quod & odium illius poëtae concepi. Non potui tamen in uniuersum mihi temperare, quin aliquando honestiora tantum animi gratia leturas, librū in manus sumerem: sed ita quoque uel inuito multa passim obscēna se offerebāt. Quandoquidē igitur euidenter quid mihi obfuerit intelligo, non potui bona conscientia non admonere alios, & publicē mea damna protestari: quo caueant sibi in posterū alij, præsertim adulescentes, ne maiore forsitan atq; ego olim in commodo polluantur. Nam & apud antiquissimos homines ante repartam medici næ artem, quicunq; aliquo morbo infecti fuerant, quid sibi salubre, quid item contrarium contigisset, dedicatis per tempora tabulis publicabant: donec ex multis demum collectis methodus artis constituta fuit. Itidem ego nūc ad medicinam animorū, quid noxiū aliquando sim expertus, omnibus esse propalandum officij mei iudicauī. Cæterum nuper maturiori deliberatione, remedium mali in hoc poëta excogitatum mihi est. Quamuis enim posthac tum etas tum professio mea ab hisce studijs ad seueriora me auocet, instituto tamen utilitatis publicæ, quicquid hoc laboris est, alacriter suscepī. Resecui enim & abieci quicquid inerat fœdioris argumenti, quicquid in honestū, turpe, obscēnum, nefandum, monstrosum, aut quod ullo modo indecori quicquam cogitandi occasionem rudibus legentium animis exhiberet.

N V N C V P A T O R I A.

hiberet. Itaq; aliâs epigrammata integra abo-  
leui, uel quia nihil sani aut sacri, ut aiunt, us-  
quam continerent: uel propter unum aut alte-  
rum uersum, totidemque dictiones improbi  
sensus: aliâs partem solum aliquam recidi, ne  
quid inde uitij sano corpori contraheretur, si  
modo nihilo secus integra sententia relinquî  
uideretur. Et ne ijs quidem pepercit, quç etiâ le-  
uiter lasciuia uideri poterât, ut puerorâ ratio ac-  
curatissima haberef. Nec paru sanc laboris atq;  
temporis in hoc negotio mihi absumptu est,  
legenda fuerût omnia & plurimi loci obscuri  
diligenter expendendi, ne quid forte turpius  
clam me subterfugeret. Iftis igitur separatis,  
& ueluti Augiæ stabulo iam repurgato, reli-  
qua nō ut fors ferebat temere denuo in unum  
librū redigere uolui: sed per locos aliquot cõ-  
munes omnia distinxi, sic ut non solum habe-  
rent linguae Latinæ candidati, unde purâ eius  
copiam ceu ex limpido fonte haurirent, sed  
quælibet ab eis in promptu insuper reperiri  
possent: quod cum aliâs iuuat, tum si quis hu-  
ius poëtae exemplum in simili argumēto imi-  
tar uelit: legendo etiam statim ea in manus ca-  
pere licebit, quibus aliquis delectetur maxi-  
me. Quod si princeps Academiæ philosophus  
hunc poëtam prius legisset, proculdubio præ  
ceteris omnibus q; longissime ipsum à repub-  
lica sua in exilium ablegasset: non lanis qui-  
dem redimitum albis, nec unguento caput im-

*R enim!*

## EPISTOLA

butum pretioso, ut olim Homerum, sed furcis  
& lapidibus abactum. Vbi uero deinde renat-  
tum purgatumq; uidisset qualis nunc est, uel  
præmio proposito reuocare uoluisset, ut qui  
iocis honestis, lepidisq; citra uitium carmini-  
bus, ornate atq; polite conscriptis, animos ex-  
hilarare simul ac docere posset, & à peioribus  
studijs, quibus otiosi homines capiuntur, legen-  
tes auertere. Verum huius instituti mei ratio-  
nes copiosius in dialogis ad hoc ipsum cōscri-  
ptis, & appendix uice Martiali adiectis, expli-  
cantur. Maximus Planudes quoq; idem ali-  
quando in Græcis præstirit, ut meminit Ra-  
phael Volaterranus in sua anthropologia: epi-  
grammata enim ueterū resectis lascivioribus,  
in unū iam uulgo sparsum uolumen, & pro  
argumentis distinctum collegit. Cæterum si  
quæ epigrammata forsan in isthoco opere non  
sat idonea suis locis uidebütur, ignosci cupio:  
sunt enim quædā eiusmodi, ut nisi uim facias,  
uix queant ad certum caput deduci. Et mihi sa-  
tis fuit, ut si non omnino, aliqua saltē ex par-  
te assignatis à me locis carmina congruerent:  
quamuis interdum nō multo amplius eis con-  
ueniant, q; feles propter oculos cæsios Miner-  
uæ. Tantum equidem præstare conatus sum,  
quātum ipsa materia mihi permisit. Sunt quæ  
pluribus locis inseri possint, in uno aliquo so-  
lum reposita, ne quid fastidiū repetitio moue-  
ret. Præterea multis in locis exemplar emenda-  
ui,

*sed illi obsec-  
rissima tam  
remorit, cum  
epigrammata se  
Tangit  
ligit.*

dixisti, nec melius utriusq; uestrū animi sententiam,  
 & argumenta cur ita semiatis, intelligam, quan-  
 tumuis multa adjicerentur. M I T. Quod reli-  
 quam est igitur grauiſſime Rhadamanthe, oro te  
 ſupplex, ne quid grauius contra Martiale pronun-  
 cies, quem doctiſſimi olim uiri amarunt, legerunt,  
 memoriae commendarunt, hodieq; multi boni &  
 eruditii idem faciunt. Viuant & uigeant Martialis  
 epigrammata, ac pro consuetudine ueteri, quam à  
 maioribus nostris per tot ſecula obſeruatam acce-  
 pimus, magno cum uoluptatis utilitatisq; fructu à  
 ſtudioſis perlegantur. R H A D. Inter prouerbia  
 celebratum hoc carmen,

Πελύτωδος πιφαλῆ ἔνι Μη καπόρ, ἵνα δὲ πολὶ ἴσθιον,  
 non immerito de Martiale usurpabitur. Nam ut ui-  
 deo perquam diſſimiliq; eius epigrammata leguntur,  
 πολὰ Μηδαὶ μεμιζυσία πολὰ δὲ λυχνά.

Quo fit ut neq; prorsus absolui à me queat, cū per-  
 multa ſint ei mala: nec rursus in uniuerſum damna-  
 ri, cum non pauca pulchre modeſteq; ab eo dicta  
 ſint, & Latinæ lingue elegantiæ ſimul atq; copiæ  
 multum conſerat. Si tamen ius ſummuſ erga eum  
 persequi uellem, iuſtiuſ certe propter mala peri-  
 ret, quām honorū merito conſeruaretur. Siquidem  
 ut apostolus gentium ait, non committendū eſt ma-  
 lum, ut inde boni aliquid euueniat: ſic neq; lēgenda  
 impia carmina propter Latinæ lingue cognitionē,

& propter aliquot bonas sententias eis immixtas.  
Sed quoniam quicquid inest uitiosi, à sanis partibus  
seūgi potest, hanc sententiam ex æquitatis iudicio  
natam pronuncio, & per omnes imperij mei fines  
ratam ac perpetuam esse uolo atq; iubeo.

M. V. Martialis principio castrari debet, dein  
ferro membratim discindi ita ut nulli artus ei cohe-  
reant amplius: mox diligenter à perito aliquo me-  
dio, quæcunq; particulae ulla lue infectæ fuerint,  
igne urentur: reliquæ de integro in corpus nouum  
articulatum concinnata conglutinentur, quemad-  
modum Aesculapius olim fertur ab equis discepta  
Hippolyti Atheniensis membra ope artis medice  
in pristinam integritatem reduxisse. Quod si teme-  
re quisquam huic sententiæ meæ contradixerit, in  
illo quoq; castrationis pœnam exerceretur.  
TEL. Actum est, illicet: abite hinc actuum omnes.

FINIS.